

cœruleus est. Sic aerem inferiorem in quo de-
gimus, verisimile est ibi apparere cœruleum,
ubi tanquam obscurior radijs luminum cœle-
stium nonnihil illustratur.

VIII. Immobilitas seu quies. Cœlum
enim non tantum semper est in loco sue natu-
rali; verum etiam in eodem semper quiescit, &
est immobile. Nam 1. Stellæ ipsæ in cœlo mo-
ventur, ut in Astrologiâ nostrâ abundè proba-
tum. 2. Quod est subtilissimum & tenuissimum,
illud ad motum ineptum est, præsertim adeò
concitatum, ut unâ horâ conficiantur miliaria
Germaniæ 3153333. Videatur Astrol. nostrâ
quest. 535. & sequentibus. Imò corpus subtilissi-
mum aptius est, ut sit medium in motu, quam
mobile. 3. Si moveretur; fieri per orbis mul-
tos, & in quolibet orbe plurimos circulos &
circillos; ob motus cœlestis varietatem. At nul-
los esse in cœlo orbis reales, rursus in Astrolo-
giâ evicimus. 4. Ex definitione naturæ æquæ
probabitur cœli quies, atq; motus.

Quoad partes cœli; quemadmodum aer à
nubibus, a vibris, manu alicujus hominis, &c.
agitatus, impulsionem magnam non patitur,
nec magnam condensationem, nec mutatio-
nem: ita multò minus partes cœli subtilissimi.

IX. Cor-